DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

FEBRE CONTINUA.

[15

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
FEBRE CONTINUA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

PATRICIUS O'RYAN,

HIBERNUS.

Feci quæ potui, non ut volui, sed ut me temporis angustiæ coëgerunt.

CICERO.

Calendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXII.

SIMONI LANPHIER, M. D.

APUD *WATERFORDIAM*,

VIRO,

PROPTER VITÆ BENIGNITATEM, MORUM SUAVITATEM,

AC MAXIMAM ARTIS APOLLINARIS PERITIAM

ÆQUE INSIGNI;

HOCCE OPUSCULUM,

LEVE QUIDEM SED SINCERUM TESTIMONIUM

ANIMI GRATI,

OB VITAM OLIM LETHO EREPTAM,

EJUSQUE SOLERTIA GRAVI DE MORBO

ÆGROTANTI VINDICATAM,

SUMMA OBSERVANTIA,

CONSECRAT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

FEBRE CONTINUA.

FEBRIS, ut *μικροκοσμος* quidam, fere omnia aliorum morborum elementa in se comprehendit. Hinc omni ævo, omni genti, hæc summi momenti visa est ; atque Apollinaris Artis cultores summa semper solicitudine ac diligentia contemplati sunt. Nihilominus, multa adhuc restant exquirenda, explicanda, invenienda ; neque temere tyroni crimini detur, si argumentum adeo grave resumpserit, aut resumptum non ea, qua par est

dignitate, tractaverit. Rei enim magnitudo scriptoris conatus imperitos excusare debet. Legibus hujus Almæ Academiæ solennibus parere haud illibenter volo; et studium mihimetipsi olim utile futurum cum officio conjungere lucri fore putavi. Ergo, de Febre paginis sequentibus Continua, pro viribus, agetur.

DE FEBRIS HISTORIA.

Omnium ætatum corporumque homines febris continua adoritur; quanquam media vitæ tempora, senili aut infantili procliviora videantur. Nulli quidem cœli plagæ vel anni tempestati propria apparet, nisi quod variis inter Tropicos videri, et aëris vicissitudines magis amare, consueverit. Accessio ejus semper insidiosa; multis quidem adeo mitis, ut præter molestiam levem hominem vix ab occupationibus solitis detineat. Sæpius vero ingressum horrores evidentes, licet abnormes subinde indicant. Tum ægrotescens languorem lassitudinem queritur, se male habere sentit, nec facile tamen sensus suos molestos ad aliquam

certam corporis partem referre potest. Mœstitia quædam est, aut desiderium mutandi corporis positum, dum molestia simul percepta ægrum, ne huic cupidini cedat, efficit. Quin motus, si tandem facti sint, lenti, cum crebra oscillatione membrorumque pandiculatione. Mens eadem pigritia detenta, ægre in rem aliquam incumbere cogitur, homine solitis officiis jam impare reddito. Sæpe inter, sæpius post hæc indicia sensus frigoris accedit, primo fere in dorso, deinde per totam compaginem corporis propagatus, quo fit ut æger prope ignem assidere gestiat. Facies membraque extrema simul pallent, cutis constricta fit. Frigori generali jam indesinenter ingravescenti succedunt artuum tremores, universi demum corporis horrores. His adduntur oris ariditas, visciditas; ventriculi ægritudo, vel ipsa nausea; sitis; cibi, maxime animalis, fastidium. Per totum hoc stadium, modo paucis horis, modo die una alterave peractum, pulsus parvus est, plus minus celer, quasi oppressus, spiritus parvi, crebri cum magna præcordiorum anxietate; capitis, dorsi, lumborum dolores leves adsunt; somni propensio naturalis fere ablata, aut si abdormiscat paul-

lum ægrescens, sopor curtus est, somniis horridis interruptus, sæpe nec vires reficiens.

Ubi sensus frigoris cum signis suis comitantibus aliquandiu regnavit, rubores calidi cum iis alternant, donec brevi prorsus abierint, atque calores natura majores excipiuntur. Hic quidem primo inæqualiter, tandem vero æqualiter atque universe per totum corpus expanditur. Supervenit multis exemplis rubor universus; atque vultus cutisque olim contractæ et constrictæ speciem naturalem recipiunt, etiam solito turgidiores evadunt. Pulsus plenus est, fortis, frequens, 90, 100, ad 120 ictus in horæ sexagesima parte numerans. Calor haud mediocriter supra naturalem increscit ad gradum 102°, 103°, 104°, etiam 105 thermometri FAHRENHEITII nonnunquam exauctus. Spiritus, quanquam liberior quam inter algores fuit, adhuc frequens perstat, cum oneris necnon anxietatis cujusdam in pectore sensu. Cutis arida, lingua et ora sicca, torrida; sorde super linguam interim crassescente. Urina, quæ primo accessu limpida fuit, nunc rubet; omnes secretiones aut copia minutæ, aut ingenio mutatæ, secernendi opus perturbatum docentes. Calore

ingravescente, sitis pro portione augescit. Nausea vero ac vomitus decrescunt; cibi autem fastidium intenditur. Cutis, oculi, auris, et si qua alia sentiendi instrumenta sint, sensus sæpe tantum acuitur, ut lucis, contactus etiam levissimi sonitus, intolerantiam pariat. Capitis dolor intenditur, carotides necnon temporales arteriæ vehementer micant, tinnitus aurium exauditur, oculi suffusi; facies turget rubetque; delirium accedit, ægri demum sermonis nulla est congruentia. Uti plerisque, ita hac febre, exacerbatio vespere manifesta est. Hac vel simili saltem ratione afficitur æger protinus primis diebus. Circiter vero sextam vel septimam signa jam maximam vehementiam attigere: post quod tempus in formam magis Typhodem declinare febris paulatim incipit. Virium musculorum prostratio anxietatem et præcordiorum oppressionem auget, hominemque misere affligit. Delirium in stuporem subsidit, quo mœstus ac morosus febriens nescio quid secum mussitat, quasi insignem quandam calamitatem animo revolvens. Vultus demissus, luridus, oculi cavi, hebetes, inertes, ignavi. Æger subito consurgit, res quas ob oculos versari imaginatur,

manu captat, vel floccos e stragulis cubilis legit. Quin sæpe maculis nigris toralia variari putat. Lingua, dentes, labia, sorde nigra, fusca atra obducta. Hoc tempore prodeunt petechiæ per cutem, pectus, collum, brachia præcipue obsidentes. Circa ora aphthæ, fuscæ vel nigræ, sæpe in conspectam prodeunt. Vellicationes aut spasmi leves musculos faciei atque artuum corripiunt. Debilitas nunc maxima fit; æger lenissimi motus impotens, dorso jacet, atque fortassis pondere suo urgente, deorsum pedes versus gradatim delabitur. Urina et alvus sine sponte ejectæ. Pulsus debilissimus, tremulus, apud carpum vix percipiendus. Sudores partiales viscosi prorumpunt, oculi fixi, turbidi quasi vitrei, cæteris vultus lineamentis collapsis. Deglutitio fit impossibilis; respiratio abnormis, laboriosa cum sonitu anhelitus, quasi lethalis in gutture strepente. Extrema nunc frigent, ad tendinum subsultus, et convulsiones quæ universum corpus afficiunt, leves vellicationes tandem increscunt. Postremo æger iniquo luctamine fatigatus morti, soli miseriarum solamini, cedit.

Hunc ad modum fere febris in mortem desitura se habet, sed in hac regione pleraque exempla paullo auspicatius finiuntur, qualiter ne frustra eadem repeteram, ad Prognosin dicendum reservo.

DE CAUSIS.

Morborum causæ in Remotas et Proximas; remotæ iterum in Prædisponentes ac Excitantes, deduci solent. Præparare vel *prædisponere* dicuntur, quæ hominem ad febrem procliviorem dant, ita tamen ut absque causa excitante, integer remaneat. Causæ excitantes eæ sunt, quæ corpori jam *prædisposito* admotæ, morbum generant. Inter priores medici adnumeraverant victum pravum, vel parcum, frigus, calorem, affectus animi deprimentes, fatigationem a violenta vel diu continuata exercitatione, intemperantiam; venerem immodicam, studium nimium, quale vita sedentaria, et crebra lucubratio efficere solent. Hæc quidem omnia genus nervosum debilitant, exhauriunt, ideoque causarum excitantium efficaciæ favent.

Causarum Excitantium cognitio nostra adhuc manca est. Plerique medicorum duas saltem causas agnoverunt, nempe contagium, frigus. Contagione quidem nihil in medicina obscurius est; hactenus enim nemo hanc subtilem materiem collegit, dotesve ejus exploratione chemica indagavit. Equidem multo magis sategere medici ut remedium invenirent, atque hoc modo prorsus successerunt. Infinitis enim experimentis MORVEAU et SMYTH, didicimus, contagionem reddere innocuam ope gasium quæ, ni fallacia quædam subsit, cum ea coalescere videntur. Quin HAYGARTH ac aliorum experientia patet ars vix minus utilis contagionem reddendi innocentem; nimirum per dilutionem ejus ope aëris ambientis admixti, perque summam munditiam. His perpensis liquet, certam densitatem, et quasi *concentrationem* contagionis esse necessariam, ut efficax sit in corpore humano inficiendo: Quo vero tempore, postquam admota fuit, effectus ejus evidentes fiant, haudquaquam constat; secundum auctorem venerabilem HAYGARTH, a paucis diebus ad duas menses. Multi opinantur hanc febrem excitari posse vaporibus

substantiis animalibus aut vegetabilibus inter putrescendum exhalatis: cui quidem sententiæ illud utcunque familiare tamen firmissimum objicitur, lanios, coriarios, cadaverum sectores, exhalationibus putridis semper patere, nihilominus morbo liberos manere. Neque dubium est quin vivi corporis halitus accumulatus febrem gignere possit, imo gignat, nec tamen eo de quo contagio emanaverat, febriente. Hujus quidem rei notissimum exemplum judicii *nigri* Oxoniensis, anno Dom. MDLXXVII, citare liceat. Hoc enim exemplo, rei qui halitum istum pestiferum in ædificium ante judices intulere immunes evadebant, dum ipse judex cæteriquæ fere omnes adstantes, ad 300 mortalium febre periere. Alia vixque minus lethalis strages incidit apud forum *Old Bailey* Anglis dictum, anno salutis nostræ MDCCL. Ibi judices quatuor, consiliarii viri tres, et aliorum præsentium multi, aëre pestifero in judicium a reis advecto, affecti, perierunt. Undecunque contagio exoriatur, aërem satis imbuere semper valet, ut hic intra paucos pedes a scaturigine sua integros inficere queat.

Proxima et vulgatissima febris causa frigus est, si modo satis intensum sit, corpori vel parti ejus alicui admotum ex rivo celeriore, dum illud de aliqua causa calet. Hac conditione febrem facile gignat; citius tamen si cum humore conjunctum fuerit.

Inter causas prædisponentes ac excitantes distinguere haud semper in proclivi erit, quoniam earum ordo actioque in corpore sæpe inter se invicem invertantur. Sic contagia ac miasmata, secundum Doctorem Lind, aliosque scriptores, sæpe præparant potiusquam excitant; dum res prius citatæ ut prædisponentes, excitantes sæpe evadere videntur.

Cujusmodi sit harum causarum effectus, in varias compages vivi corporis, nondum intelligitur; atque tempus male perderem, si rem tanta caligine obductam, ultra prosequerer.

DE DIAGNOSI.

Protinus primis diebus, omnes fere febres continuam communem simulant; eo igitur tempore typum singulis proprium prædicere vix lice-

bit. Dehinc vero ingenium mutant, atque propriam manifestant indolem, qua alia ab aliis distingui possit.

A Peste, synochus distinguatur accessione magis subita, progressu rapidiore, necnon bubonibus, anthracibus, vibicibus quæ huic semper adsunt, raro, si unquam, illo. Inter synochum et Febrem Flavam diagnosis difficillima est: multi quidem eundem esse morbum putant, eoque solo discrepare quod febris flava compaginem biliosam haud mediocriter irritabilem habeat, necnon ingentem capitis dolorem, ventriculi inflammationem, vomitum nigrum, artuum dolores cruciabiles, cutem flavam, delirium initio ingruens, et crebrior fatalitas minus certa videntur. Quinimo inter Inflammationes locales, ac febrem communem continuam sæpe distinguendum est. Haud enim raro fit, quod hæc febris inflammationem visceris alicujus comitem habeat; ut cerebri, pulmonis, hepatis, ventriculi. Tales vero inflammationes cum synocho putridæ olim dicebantur. Eo autem facile distinguas, quod in Synocho febris incipit; dolor partis postea consequitur; in Phlegmasiis dolor loci primus est, sæpe levem omnino

febrem habet, nec unquam vires tam graviter deprimit. Quotidie tamen in ventriculo, intestinisque, extant exempla quæ vix discerni possunt.

DE PROGNOSI.

De hac febre, quanquam non nisi modice lethali, prognosis caute proponenda est. Usus enim docet sæpe letho finire, quando indicia eventum lætiorem ostendere viderentur. Contra, haud pauci convaluere quibus omnis spes negata esse apparuit. Hæc tamen observatio primo hujus stadio magis accommodatur; provectioris enim præsagia securiora sunt. Signa faustiora sunt, munditia et sana fere conditio marginum linguæ; sensibus claris et distinctis, vel delirio, si hoc adsit, decedente; calor febrilis et capitis dolor decrescentes; cutis sudore tenui tepidoque contecta, præsertim circa primam hebdomadam vel secundam; diarrhœa biliosa lenis, aut urinæ turbidæ profusio, quæ frigefacta sedimentum lateritium demittit, simul accedens, vel saliva tam copiose aucta ut sitim restinguat; vultus habitus magis

naturalis; corporis positus qui musculorum auctam potestatem indicet; spiritus facilis, vox fortior, firmior, pulsus modicus æqualis. Infausta signa sunt, manuum tremores, aliarumque partium, haud raro in subsultus vel convulsiones etiam transeuntes; lingua tremula, ultra labia protrudi nescia, singultus; sphincterum solutio, urina alvoque elapsis; deglutitio difficilis, vel impossibilis; spiritus brevis laboriosus; spuma ex ore, anhelitus lethalis, strepitus in gutture; delirium ac stupor cito apparentes, perpetuo augescentes; pulsus celer, parvus, intermittens, obscurus; vultus rubores crebri, abnormes, vel reliqui corporis; sitis absentia, quamvis cum lingua et ore siccissimo. Sedes multæ, liquidæ, pallidæ, atræ, fœtidæ. Abdomen et epigastrium pressu dolentia; intestina aëre distenta: Inquies; magna jactitatio; motus manus perpetuus; brachia vel crura detegere conatus; circa os aphthæ nigræ et opacæ, petechiæ, hæmorrhagiæ, vocis depressio. His pejora sunt extremæ debilitatis signa; vultus pallidus collapsus, tempora cava; aures marcidæ; oculi cavi conversi, palpebris celati; cæcitas; nasus acutus; os hians; labia cereo co-

lore ; cutis rugosa laxa, cum sudoris frigidi viscidi profusione per frontem, colla, brachia, manus ; delirium aut luctamina supra vires, unde in somnum profundum miser labitur, nunquam expergiscendus : sigillatim ex his signis nullum unum aut salutem aut mortem indicat ; collecta vero, præsagium mire confirmant.

DE MEDENDI RATIONE.

MEDENDI consilia tria sunt ; 1mo, Cursum quam primum prohibere : 2do, Si id parum liceat, violentiam moderari : signa infausta mitigare vel sublevare ; 3tio, Vires sustinere in tempore collapsus.

Febris eam esse naturam medici putaverunt, ut semel formata per certum sibi proprium curriculum deproperet, arte quidem levanda, sed non sistenda. Ergo in primo febris tempore tantum, utile erit, solutionem remediis idoneis conari. Hunc ad finem emetica olim præcipua habita sunt remedia ; utpote quæ ventriculum cruditatibus acribus expurgent, secretiones varias exci-

tent, concussionem quandam ac agitationem corpori impertiant, quibus circuitus æquilibrium restituitur, cutis perspiratio renovatur, et vires vitæ, ut veneno efficaciter resistant, exstimulantur. Emeticorum optima sunt Tartras antimonii, Ipecacuana; quorum utervis ad vomitum plenum administratus, sæpe febrem illico solvit. Nuper, vero, de utilitate vomitorii in febribus ambigere cœperunt medici, atque facile credo tale medicamentum, ubi nihil profecit ad febrem intercidendam, atque impetus simul sanguinis ad cerebrum nimius est, gravissime nociturum. Caute igitur adhibendum febricitantibus vomitorium est, nec temere post stadium renixus plane formatum fuerit.

Si facies suffusa sit, pulsus plenus atque fortis, calor multus, sanguinis missio adhibenda est commodissime. Quantitas mittenda variat, atque in febribus hujusmodi Idiopathicis minor quam inflammatoriis vel Phlegmasiis; non tantum quia excitatio generalis semper minus periculosa sit quam vitalis organi inflammatio, sed quia experientia constet, has viscerum inflammationes sine liberali sanguinis detractione sanari non posse; excitationem vero universalem etiam aliis sæpe

remediis cedere, et debilitate sub finem majore excipi solere. Nihilominus ex hac ipsa causa consequitur, si viscus aliquod, verbi gratia, cerebrum, febrientis, inflammatione una corripiatur, tum ad sanguinis missionem copiosam esse confugiendum; scilicet ut irritationem nimiam tollat, mutationesque morbosas vel corruptionem insanabilem ipsius visceris inhibeat.

Tali ergo conditione nullo modo a sanguinis detractione deterrendi sumus, tametsi indicia debilitatis se ostendant. Sic si cerebrum inflammatum sit, sanguis ibi accumulatus, atque illam omnium virium nostrum scaturiginem opprimens, signa debilitatis non dare nequit; si tamen ægri vigor tantum diminutus sit, ut sanguinem generaliter trahere imprudentis videatur, hirudines parti affectæ admotæ, erunt utilissimæ. Dum tamen irritationem tam febrilem tam inflammatoriam domare, latice vitali detracto, conamur, omnia abstinenda sunt quæcunque ægrum exstimulant, præsertim qualia æger ipse aversatur, quæque per se irritationem dolentem cieant. Hujusmodi sunt lux, sonus, sitis, motus omnigenus, stragula incommoda, cubile calidum, sordes in alvo. Sitis

sedanda est potu frigidulo, qualem æger ipse forte cupiat. Stragula levia sint, quies inculcetur, intestinorum irritatio purgantibus compescatur. Olim hæc utilissima medicamentorum classis raro exhibita in febre erat, debilitatis superinducendæ metu; atque Jacobo Hamilton seniori, M. D., genus humanum multum debet ob hoc animi præjudicium diligenter correctum. Namque ex ejus observationibus constat, ea medicamina adeo non superinducere debilitatem ut hanc summopere prohibeant. Ut hæc purgantium commoda medicus obtineat, satis erit materias jam propemodum extraneæfactas, dejecisse, modicis portionibus purgantium leniorum, ut olei ricini, sulphatis magnesiæ, phosphatis sodæ, tartratis potassæ et sodæ, rhei, pulveris jalapæ compositi. Si tamen ingens stercoris accumulatio sit, alvus diu occlusa, et modos ampliores et formulas acriores adhiberi oporteat, atque iterum iterumque repetere, donec alvus probe exonerata sit. Hæc rite et cautim administrata, functiones ventriculi adjuvant, secretionem hepatis, pancreatis, omnium intestinorum, meliores faciunt; intestini irritamenta, stercora nimirum, expellunt, ideoque

anxietatis febrilis, capitis doloris, inquietis, caloris demum morbidi, levamentum insigne procurant. Quin alvum enematibus ducere, si stercora vitiosa indurata colon, rectumve intestinum occupaverint, utilissimum est: atque finem versus febrium, quibus magna imbecillitas est, purgantibus ore sumptis utilius; corpus enim minus movet, seri profusionem superfluam haud cogit.

Quandoquidem protinus ab initio nec ingentis febrilis, nec localis inflammatoriæ actionis, signa comitantur, sanguinis missio non indicatur, tum ad aquæ frigidæ affusiones confugiendum: cujus quidem medicinæ commoda jam multa experientia comprobavit.

Febre cutis vascula constricta sunt, atque hæc constrictio febris actionem sustinet, sudorem nempe, corporis refrigerium, reprimit. Affusio tunc adhibita hanc constrictionem tollit, sensum caloris, qui irritationis febrilis origo uberrima, ideoque febrilem actionem ipsam magnopere compescit, ægrum blando sopore delinit. Doctorum Currie ac Alexander experimenta luculenter ostendunt, ingentem atque supra naturæ normam corporis calorem perspirationi resistere. Sic ad temperiem 104°, 105° Fahren. vasa

cutis pertinacissime constricta perstant, nec raro tactui cutis ipsa calet; quinimo vascula ejus non reserantur, donec temperies ad 99° vel 100° Fahr. fuerit imminuta. Hinc calente perquam corpore, sudor tunc solum fluit, quando corpus ad 100° Fahren. gradum refrigeratum fuit; tunc enim latices suos oscula infinita profundunt. Quando igitur "nullus algoris sensus adest, cutis constricta supra naturam calet, perspiratio nulla generalis vel profusa," potus frigidi et affusionis per cutem frigidæ usus, saluberrima remedia sunt, quibus nihil melius.

Aquæ frigidæ, sive corpori infusæ, sive lavando tantum adhibitæ, effectus hoc modo se habere reperiuntur. Æger lecto restitutus, leni vel aliquando profusa perspiratione occupatur; cui somnus gratus inturbatus accedit. Sensus ille molestus caloris multum imminuitur; pulsus minus frequens fit, lingua pura, humida. Capitis ac artuum dolor sublevantur, atque totus habitus febris mitigatur; cursus demum leniter abbreviatur. Hoc levamen eo perfectius efficaciusque evadit, quo citius adhibetur: ante diem tertiam febris ex amphoris febrienti affusa, vel ex bal-

neo pluviatili projecta, sæpe morbi perfectam solutionem efficit. Post vero illud tempus, nihil nisi signa mitigare valet; atque si recurrentibus istis repetatur, ad finem brevem felicemque haud raro perducit. Prior ejus effectus aliis calori abstracto, aliis impulsui vehementi, quem haud aliter quam emeticum, sanguinis missio, aut purgântia, corpori impertiunt, attribuitur. Talia enim seriem actionum morbidarum, quæ neglecta arte medicinali indissolubilis evadit, interrumpere videntur. Siquando consilium sit summam cutem refrigerare tantum, aqua aut per se, aut cum aceto vel muriate sodæ conjuncta, ex spongia adhibeatur. Eodem consilio aquæ tepidæ affusiones, 87° vel 97° Fahren. calentes, commode usurpentur. Si delirium vehemens sit, frigus capiti admotum, post sanguinis missionem, potentissimum remedium est. Hujus quidem documentum insigne præbuit Professor GRAHAM, in Prælectionibus suis Clinicis: aquam capiti cujusdam infundi jussit felicissimo eventu; sed ut frigus constanter et minore negotio adhiberi possit, vesicam aqua et glaciei frustulis paucis repletam pilei nocturni vice accommodari suasit.

Diaphoretica quoque calorem morbidum minuunt, cutis perspirationem promovent. Modi parvuli pulveris antimonialis, vel aquæ acetatis ammoniæ, ex intervallo repetiti, aut cum aspersione aquea conjuncti, erunt utilissimi.

Sin autem morbi progressum inhibere non valuerint, atque conatibus nostris omnibus nihil obstantibus, exhaustionis atque actionis imminutæ signa apparere incipiant; tum hoc casu ea medicamenta administranda erunt, quæ vires refocillare queant. Horum omnium vinum, ut utilissimum, ita homini gratissimum est. Parvis modis incipiendum, sic tamen ut gradatim hi augeantur, primo aqua vel sorbitione diluti. Unciæ paucæ ad libram usque quotidie dari solent, sed copia pro effectibus mutanda est, proque morbi duratione, debilitatis gradu, habitu corporis pristino. Si ventriculum non perturbet, si ægrum reficiat, avide potet, plus et sæpius flagitet, si somnum conciliet, nec ullam pulsus infaustam mutationem inducat, tunc remedium est tutissimum simul ac utilissimum ; et manu liberaliore propinari debet: aut meracum aut dilutum. Hoc vero tempore, si cibi cupiditas redeat, pauxillum juris gallinacei

cubanti concedatur; vel gelata, præsertim quæ farina frugum cum saccharo, vino, vel spiritu distillato, parari solent; necnon fructus maturi. Cura tamen maxima habenda est ne ventriculus oneretur, quod somnos gratos levesque ægrum reficientes, valetudinemque prosperam evidenter referentes, facile interrumpat. Quando æger jam convaluit, summa diligentia cavendum est ne recidiva fiat, scilicet, alvi conditionem accurate observando, levem atque alibilem victum ægro permittendo. Prospera valetudine jam demum redintegrata, exercitatio lenis suadenda est; primum, si res familiaris sinat, gestatoria; postea ad solitam vitæ consuetudinem muneraque tandem redeat.

FINIS.